



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd cum rursus Philippicum imperator emitteret, exercitus illum
recusavit. Caput VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

EVAGR. HISTORIAE

denique maledictis figunt. Et quanquã erga vectigales gerebant se moderatius, quã barbari solent, tamen erga socios & reip. ministros animo erãt plane alieno. Nã neq; comteatum mensura, aut pondere accipere, neque diuersorij sibi præstituti contenti esse voluerunt, sed mens cuiusque lex, & voluntas pro regula præscripta fuit.

Quòd cum rursus Philippicum imperator emitteret, exercitus illum recusauit.

Caput VI.

Imperator igitur mittit Philippicum, qui istas res corrigeret: quem milites non solum non admiserunt, sed si quem eius partibus fauere suspicarentur, eum in grauissimum vitæ discrimen adduxerunt.

De Gregorio Theopolitano, hoc est, Antiocheno episcopo, & intentata aduersus eum calumnia, & quomodo falsam illam redarguerit.

Caput VII.

HIS rebus hoc loco cõstitutis, Gregorius Antiochiæ episcopus, Constantinopoli domum reuertitur, graui confecto certamine, de quo iam dicturus venio.

Cum Asterius Orientis gereret præfecturam, & contentio inter eum & Gregorium orta esset, primum omnes ciuitatis primores, partibus Asterij se addixerunt. Deinde adiuncti sunt etiam ei, si qui populares erant, & artes exercebant in ciuitate (singuli enim se aliquid damni à Gregorio accepisse affirmabant) postremò plebi vt conuitia in Gregoriũ iacerent permissum erat. Ambò igitur, & optimates, & populares in eandem cum plebe quasi pedibus iniere sententiam: & tum in plateis, tum in theatro probra & contumelias in episcopum Gregorium intorquere non cessauere: quin etiam ne à Scena quidẽ talis absuit petulantia. Quapropter Asterius abdicatur præfectura, ad quam administrandum Ioannes deligitur: cui imperator dabat mandatũ, vt de seditione illa accurate inquireret. Hic Ioannes vir quidem erat, ne ad minima quidem negocia procuranda, nedum ad tam grauem prouinciã suscipiendam idoneus.

Itaque